



Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online

**Danskernes Historie Online** er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

#### Støt Danskernes Historie Online - Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

#### Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

#### Links

Slægtsforskernes Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

# Exercitationes Philologicæ,

quibus

Publicum Examen Anniversarium

in Schola Slaglosiana habendum

indicit

*Simon Meisling,*

*Doctor Philosophiae et Magister Artium,  
Rector Scholæ.*

---

Hafniæ, MDCCXXIII.

Typis excudebat Andreas Seidelin,  
Aulæ Regiæ et Universitatis typographus.

§. 1.

"Ηδη ποτὲ οὖν, ὡς Κρόνου καὶ Ρέας υἱὲ, τὸν  
βαθὺν τοῦτον ὑπνον ἀποσεισάμενος καὶ νή-  
δυμον, καὶ ἀναρρίπτας τὸν κεραυνὸν, ἦ ἐκ  
τῆς Οἴτης ἐναυσάμενος κ. τ. λ.

Luciani Timon. c. 6.

Vitium his verbis inesse ante alios interpres græcus indagasse sibi visus est. 'Η Οἴτη, ait, ἔσι μὲν τῆς φωκιδος ὅρος ὑψηλὸν, οὐδὲ μέντοι πεφυκέδει καὶ φλόγος ἀνιέναι. πᾶς οὖν τοῦτο λέγει νῦν; Verum vix latebit quemquam, cui ob oculos versatur jocosa, qua Jovem perstringit autor, scribendi ratio, cur montem hunc, quo ad risum movendum aptior erat nullus, aliis omissis, ad rem suam converterit. Errat omnino, si quis alias, qui ad certam historicam formam et ad exactam geographicam veritatem singulas cujuscunque autoris comicī sententias atque formulas revocare studeat; et male eveniret Aristophani, Plauto, ceterisque optimæ notæ comicis scriptoribus, si ad vivum essent resecandæ singulæ ipsorum sententiae, essentque anxie aurifificis quasi trutina dijudicandæ. Ad rem nihil pertinet — ut ad nostrum revertamur — utrum flamas projecterit mons, necne, quum luce sit clarius, cur ad potentiam Jovis irridendam eum potissimum autor adhibuerit. Quantum enim ad cachinnum movendum

A

faciant omnia, quæ præter opinionem eveniant atque dicantur, et imprimis illi quos dicunt anachronismi, perfectis melioribus comicorum scriptis, experti scire debemus. Quum enim ita sit natura comparatum, ut inopinatis atque parum provisis, non minus in joco ac ludo, quam in luctu ac dolore, maxime commoveamur, necessitate quadam sit, ut, quæ præter opinionem proferantur, ad hilaritatem excitandam, risumque exequendum admodum valeant: unde etiam efficitur illud, quod ad nostram rem magnopere facit, ut, quo magis obvia sit et intellectu facilis lectio ἐξ Αἴτνης, eo minus, quo se commendet, habeat.

Nec vero audiendi sunt illi, qui eructasse umquam subterraneum ignem Oetam montem præfracte negant, eaque assertione ad lectionem ἐξ Αἴτνης stabiliendam imprimis utuntur. Ut enim omittam, non quamvis, ab antiquioribus haud commemoratam, rem abnegari posse, adsunt nonnulla, nec illa quidem obscura, auctorum veterum loca, ex quibus dilucide satis pateat, ignem aliquando subsuisse Oetæ. Num adeo oblitus est Hemsterhusius, acerrimus vulgatae lectionis impugnator, præclaram Herodoti eandemque luculentam Thermopylarum descriptionem \*)? Thermopylarum, ait, quod ad occasum vergit, mons est inaccessus et præalti præcipitii, procedens usque ad Octam: quod autem viæ vergit ad auroram, mare excipit ac vada: ἔσι δὲ ἐν τῇ ἐσοδῷ ταύτῃ θερμὰ λουτρά, τὰ χύτρους (al. χύτρας) παλέουσι οἱ ἐπιχάριοι ναι βαρύδε ἴδρυται Ἡρακλέος ἐπ' αὐτοῖσι. Quibus verbis quid clarius, et ad subterraneum igñem

---

\*) Herodot. VII. cap. 176.

indicandum magis perspicuum? Verum mittamus Herodotum, et evolvamus Catullum \*), qui in præstantissima, quæ est ad Manlium, elegia, quoque in latina lingua pulchriorem nullam agnoscit Muretus, duplicitis sui amoris, puerilis videlicet et muliebris, descriptionem instituens, hæc adjungit:

Nam mihi quæ dederit duplex Amathusia curam  
Scitis, et in quo me torruerit genere:  
Quum tantum arderem, quantum Trinacia rupes,  
Lymphaque in Oetæis Malia (al. Daulia) Thermopylis.

Quibus perfectis versiculis, quid est, cur, Hemsterhusium, criticorum facile summum, secuti, negemus, huic monti subsuisse ignem? si enim, quod ex allatis addubitate vix licet, fuerint *Thermæ* Oetææ (*Θερμαὶ Λουτρά*, aquæ calidæ lavacra), fuerint quoque necesse est intestini montis ignes: nam, ut Manilius verbis utar \*\*):

Sunt cunctis permixti partibus ignes,  
Qui calidas reddunt ipsis in fontibus undas.

Nec illos fuisse leves, ex ea, quam inter Octam et celeberrimum Siciliæ ignivomum montem instituit, comparatione suspicari licet.

Quum igitur hæc sint satis perspicua, Isaaco Vossio \*\*\*) nequaquam adstipulabimur, qui, certa incertis commiscens, versus quosdam Publii Statii \*\*\*\*), propositæ rei parum accommodatos, protrahit. In

\*) Catulli Carmina, 68 v. 51 sqq.

\*\*) Manilius Astronomic. ed. Feyus pag. 103.

\*\*\*) Catulli Carmina ex ed. Is. Vossii p. 187. 188.

\*\*\*\*) Statii Sylvæ, libr. II. carm. 6 v. 62.

epicedio Pileti Ursi, veri doloris sensu afflictus poeta,  
ex intimo animi moesti recessu hæc verba effundit:

O! quam divitiis censuque exutus opimo  
Fortior, Urse! fores, si vel fumante ruina  
Ructassent dites Vesuvina incendia Locros,  
Seu Polentinos mersissent flumina saltus.

Verum ad nostram rem quid inde redundabit? Acco-  
lebant quidem Oetam Locri Opuntii, verum non inde  
sequitur *Vesuvina incendia* denotare Oetam. Locros  
Ozolas summa montis cacumina occidentem versus te-  
nuisse, orientales vero Locros, qui et Opuntii audie-  
bant, accoluisse fretum, quo, Euboeam versus, in  
mare exit Oeta, nemo facile negare sustinebit: verum  
illine reperiuntur ejusdem nominis soli? nulline sunt  
alii, quos poetam spectasse putare fas est? immo vero  
adsunt; nec a veritate valde aberrabimus, si, poetam,  
optimum sententiarum suarum interpretem, secuti, nec  
de Locris, Boeotiae populo, nec de Ozolis sermonem  
institui crediderimus, siquidem præclare erit sano loci  
sensui consultum, si de Locris Epizephyriis, in Bruttii,  
Campaniae regione, a promontorio vel oppido sic dictis,  
poetam agere autumaveris.

Verum adhuc magis, si fieri potest, desiderabis  
subactum illud judicium, sine quo exegeticam artem  
parum auspicatus aggredieris, quum Vossius, rem, ut  
est in proverbio, actam agens, et probatam rem pro-  
baturus, ex Manili verbis \*):

(ignes) gravidas habitant fabricantes fulmina nubes,  
Et penetrant terras, Ætnamque minantur Olympo,

---

\*) Manili Astronomicon I. 45.

elicere studet, Maniliū, p̄œtica dicendi ratione usum,  
 de Thermis Locrensiū, quæ erant in Oeta, agere,  
 Ætnamque esse pro quovis Ætnæ simili incendio ac-  
 cipiendum. An vero omnes rationes, quibus sana ex-  
 plicandi ars superstructa esse debet, sunt despiciendæ,  
 ut, ad libidinem nostram, quocunque placuerit, ex-  
 spatiemur? Ut in ceteris, sic in aliorum verbis expli-  
 candis, cavendum, ne, pro lubitu agentes, in seriis  
 quasi cavillantes, incerta pro certis arripuisse videa-  
 mur. Illud quidem nemo fere negaverit, poetis nihil  
 esse usitatius, quam pro genere uti specie; et nosmet-  
 ipsi, ex tenui hanc in rem exemplorum collecto penu  
 quædam depromturi, solum excitabimus Virgilium,  
 haud spernendæ auctoritatis scriptorem, qui, ne lon-  
 gius abeamus, Cyrneas taxos Andibus, Mantuam adja-  
 centibus, agnoscit: quid? quod in Italia Chaonias co-  
 lumbas offendit, Tityroque prope ad Mantuam som-  
 num capienti Hyblæas apes susurrare facit. Verum  
 ipsa libertas limites agnoscit, et certe finibus suis est  
 circumscribenda, ne in licentiam abeat: nec, temere  
 laudari Maniliū, dubitabis, quum totum, de quo  
 agitur, poetæ illius locum inspexeris, et disserentem  
 illum de phænomenis *ubivis* occurrentibus inveneris.  
 Quum enim Manilius de stellis cadentibus, quæ, veloci-  
 um sagittarum similitudinem referentes, prosiliunt,  
 deque interno in *omnibus* universi partibus disperso  
 igni, *ubivis* aquas in fontibus calidas exhibente, loquitur,  
 nihil est, cur, auctoritate præstantis viri inducti, de  
 Oeta monte, et quidem de illo solo, mentionem fieri  
 putemus. Nolle etiam Vossius, præpostera nescio  
 qua concludendi ratione usus, ex nostro loco argumen-

tum petiisset intestini montis ignis; siquidem n  
quaquam sit ex Luciano probandum, verum potius,  
aliorum scriptorum auctoritate firmatum, ad stabilien-  
dum nostrum locum transferendum.

Quæ quum ita sint, ne dubitare quidem licet, anti-  
quissimi temporis memoriâ Oetam montem eructasse  
ignem; nec restat causa, cur, Tanaquillum Fabrum  
ipsumque Hemsterhusium secuti, pro Ōt̄n̄s reponamus  
Ātn̄s. Parum enim moveor mira Hemsterhusii asser-  
tione, nihil lectione Ātn̄s, vel Luciano arbitro, esse  
verius. Jubeatur sane Mercurius (Timon §. 19) ignem  
ἐκ τῆς Αἴτνης ad fulmen Joyis accendendum arcessere:  
redeat ille volatu suo ad coelum ὑπὲρ τὴν Αἴτνην (§. 40):  
sit apud poetas vulgatus nihil, quam hæc telorum Joyis  
officina: quid inde proficies? quid ad risum movendum,  
potentiamque Joyis deminuendam illa lectione confere-  
tur? Quo enim est magis usitata Luciani sententia, eo  
minus erit ad lectorum animos deliniendos demulcen-  
dosque accommodata; nec ea est Luciani penuria in-  
genii, ut, necessitate coactus, tritas et cuivis obvias  
ingrediatur vias. Fuit igitur, nec illa quidem latens,  
causa, cur hunc, omisso celebrioris famæ Ætna, ele-  
gerit montem: quam si negligimus, aculeum quoque,  
quem verbis involutum autor recondidit, negligamus  
necesse est. Multæ erant, eæque diversæ, rationes,  
quibus ignem fulminis extinctum suscitare poterat Ju-  
piter, verum, ad debilitatas Joyis omnipotentis vires  
simul irridendas, efficacior nulla, quam quæ ex Oeta  
monte fulmen accendentem eum adumbraret. Fuerit  
sine ignibus mons, quod ex allatis credere vix fas est:  
extiterint numquam Thermæ Oetæ, earumque neces-

saria causa, subterraneus ignis: illud tamen haud impedit autorem, qui totus est in eo, ut plane dirimat vacillans et exitio jam impendenti succubens imperium Jovis, quo minus fictionem, qua vix aptiorem reperias, adhibeat, dum, falsam summi Deorum auctoritatem impugnans, lectoribus in mentem revocat, qua obiit Hercules, mortem. Qui enim ipsi filio laboranti, et per summum cruciatum supremum diem obeanti, turpiter defuit, vix censendus est hominum, miseriis afflictorum, eorundemque innocentium, rationem habere. Accende igitur, sis, ait Timon, ἵνα φορτικῶς εἴπω, ex Oeta, infelicitis tui, nec a te in summo vitæ discrimine sublevati filii rogo, fulmen, ut aliquando, ingenti edita flamma, iram illam Jovis fortis ac manu prompti, exseras.

Tali modo si vulgatam lectionem intellèxeris, vis et gravitas verbis Lucianeis inerunt; verum, si mutationi lectionis, haud temere tentandæ, annueris, concident illæ atque evanescunt.

## §. 2.

Virgilii Æneid. libr. VII. v. 445—46.

Inter plurima Æneidos loca, quæ præcipue nitent, et propria quadam non venustate tantum, verum etiam gravitate excellunt, nullum facile invenies, quo altius egisse iter poetam agnoscere liceat, et qui majorem sapiat poeticam vim, quam qui Alectô, furiarum, ut ipse dicit, maximam, ad arma et bella excitantem Turnum, regem Rutulorum, repræsentat. Promissis Latinî regis consiſus, Amatae. matris Laviniae, studio adjutus, de summis Latinorum rebus optime meritus

Turnus, summæ virtutis juvenis, de amittenda sponsa ne suspicionem quidem fovet. Tantum igitur abest, ut quæ de mutato Latini consilio afferat Alecto, in decrepitam Junonis sacerdotem conversa, credat, ut potius Iudibrio eam habeat, omnique contumelia atque opprobrio afficiat; quibus incensa tandem Dea, anili rejecta specie, veram suam, eandemque tremendam formam conspiciendam exhibet.

At vero, quo magis insignem exponendæ rei rationem laudabis, eo magis in singulis poetæ verbis hærebis:

Talibus Allecto dictis exarsit in iras.

At juveni *oranti* subitus tremor occupat artus:

Deriguere oculi: tot Erinnys sibilat hydris,  
Tantaque se facies aperit.

An igitur, qui promissis regis, studio reginæ, propriaque virtute fretus, elatius se gessit, vatemque nuper, ut ipsius poetæ verbis utar, *irrisit* (v. 435), dum ad falsa quæque et ficta amplectenda, quam ad certa et vera exploranda propensiorem eam contendit, an is, inquam, *orat*, precesque effundit? Num igitur qui irridet, *orat*? quid propositæ rei magis absonum? quid moribus increduli, ejusdem superbientis et exsultantis juvenis minus congruum? At dicet quispiam, non rogandi solum, verum etiam loquendi dicendique notionem inesse vocabulo *orare*; nec desunt, qui h. l. *oranti* interpretentur *loquenti*\*). Sed evolvas velim frequentissima illa, quæ huc pertinent, Virgilii loca,

---

\*) Sic in Servianis: "oranti i. e. loquenti; unde etiam oratores dicimus." ed. Lucii p. 1166. B. cfr. edit. Petri Burmanni junioris Vol. III. p. 196.

et ubi sola loquendi, nulla simul adjecta rogandi petendique notionc, exstet vocabulum, frustra quæres.

Nec me fugerunt, quæ ad illustrandum Ciceronis, quæ est ad T. Fadium, epistolam, satis acute de diversa *petitionis*, *rogationis*, atque *orationis* notione attulit Paulus Manutius \*). Verum miror, quod plures distinctionis suæ, subtilis quidem atque acutæ, an vero probandæ videant alii, commendatores invenerit. Quod quo magis mireris, animum advertas velim, ipsum, parum constanti explicandi ratione usum, pedem referentem adjicere, "oratorem, causa ita postulante, adjungere preces." Quid? quod, rejecta, quam nuper fecerat, distinctione, addit: "orare est causam agere, unde orator, ac tunc ratione finis idem est, quod rogare et petere."

Nec moveor auctoritate Ernestii, qui, nulla exhibita circumscriptione, *orare* esse: "dicendo agere, et a veteribus pro quavis causam agendi ratione esse

\*) Epistolæ ad Familiarr. libr. V, ep. 18. ed. Grævii vol. I. pag. 236. Verum digna sunt, quæ afferantur, Manutii verba: "Humilitas in *orando* major est quam in *rogando*, (et quantum illud ad nostram rem faciat, animadvertis velim), unde *adorare*. *Orare* est etiam causam agere, unde orator, ac tunc ratione finis (sic?) idem est, quod *rogare* et *petere*, quanquam actio diversa; qui enim *rogat*, et qui *petit*, et qui *orat*, impetrare aliquid cipiunt. Sed petitio *rogantis* cum solis precibus est, *orantis* cum rationibus et precibus, unde orator, qui rationibus interdum, ita causa postulante, preces adjungit. Petenti neque preces (?) neque causæ necessariæ sunt: quæ si adduntur, tum vel *rogare* proprie dicitur, vel *orare*: si non adduntur, *petere* simpliciter." Hactenus Manutius.

adlibitum", autumat. Quæ enim ex Ciceronis pro Quintio oratione \*) exsculpit, vim probandi non habent, quoniam errorem in textu sublatentem nullo pacto dissimulare poteris; quod etiam in causa fuit, cur Franciscus Hottomannus, Lambinus, aliique haud spernendæ existimationis critici, mutata lectione, pro *orarit*, ob ipsam insolitam vocabuli notionem, *perorarit* legere jusserint. Quid vero ex assertione Ciceronis \*\*), Antiphonte Rhamnusio neminem melius oravisse causam capit, peti possit, equidem non video. Si enim spectaveris, qua ad judicem accederent capit, anxiatatem, et bene memineris squalorem, moestitiam et lacrymas, quorum in orationibus Ciceronis semper et ubivis occurrit mentio, et eorum munus atque officium, quos *advocatos* dicunt, memoria retinueris, addubitate vix poteris, quin vel in ipso Antiphonte cum oratione conjunctæ fuerint preces.

Ex hisce, ita allatis, satis superque elucebit, ne pedestrem quidem sermonem agnoscere vocabulum *orare*, si nulla sit rogandi petendique adjecta *notio*, nec, ut autumant Manutius atque Ernestius, "de *quavis* roga-

\*) "Quid igitur pugnas? an, quod sëpe multis in locis dixisti, ne in civitate sit? — decernat de vita et ornamenti suis omnibus? apud judicem causam priore loco dicat, et, eam quam *orarit*, tum denique vocem accusatoris audiat?" Cic. pro Quintio c. 13.

\*\*) "Huic (sc. Gorgiae Leontino) Antiphontem Rhamnusium similia quædam habuisse conscripta; quo neminem umquam melius ullam *oravisse* capit, causam, quam se ipse defenderet, se audiens, locuples auctor scripsit Thucydides." Ciceronis Brutus c. 12.

tione, non modo precando, verum etiam rationibus commemorandis”, vocabulum illud admittere \*); nec apud nostrum, si vel omnia — quæ non pauca sunt — hanc in rem evolveris loca, inveneris, petendi rogan-dique notionem ab *orare* semotam. Quæ quum ita sint, nullus dubito, quin, mutata lectione, versus ita resti-tui debeat:

At juveni *ovanti* subitus tremor occupat artus: qua commutatione nec erit sensui male consultum, nec a solita dicendi ratione, quam poetæ quasi propriam agnoscere fas est, recedere videbimur. Quid enim Virgilio usitatius, quam ovantes socii, ovantes nautæ, ovans acies, ovantes flammæ, ovans germanus, ovans corvus? utque brevi præcidam, *ovans* apud Virgilium quævis superbientem et gaudio exultantem exhibet. Quum igitur facilis sit mutatio, nec ulla adsit, cur pre-cibus utatur Turnus, probabilis causa: quumque sit fre-quentissimus apud Virgilium vocabuli *ovare* usus, et optime propositæ rei congruat, haud equidem vereor, ne mutatio lectionis omnino rejicienda esse videatur.

\*) Si quis ex illa, quæ pro Sexto Roscio Amerino exstat, oratione, in medium proferre conabitur verba Ciceronis satis trita: ”legati re inorata reverterunt” (c. 9), memi-nerit ille, quæ de consilio, quo missi fuerint legati, capite præcedente dixerit autor. ”*Orent*, ait, ut et illius mortui famam, et filii innocentiam et vitam conservatas velit”: nec facile inficias ibit quispiam, quin legatis esset ad molliendum Sullam adque deterrendum Chry-sogonum precibus opus. Huc accedit, quod, ut passim apud Ciceronem, verba, ex Ennio expressa, obsoletam quandam et Ciceronis ætate parum vulgatam notionem retinuisse videntur.

## §. 3.

*Illi (qui Græciæ formam rerum publicarum derunt) corpora juvenum firmari robore voluerunt, quod Spartiatæ etiam in foeminas transtulerunt, quæ ceteris in urbibus mollissimo cultu, parietum umbris oculuntur. Illi autem voluerunt, nihil horum esse apud Lacænas virgines, quibus magis palæstra, Eurotas, sol, pulvis, labor, militia in studio est, quam fertilitas barbara.*

Ciceronis Quæstion. Tusculan. lib. II. cap. 15.

Haud facile intelliges, quid tantopere in fraudem impulerit interpretes, ut, quæ jam laudavimus autoris verba, nullis, quantum video, difficultatibus obnoxia, incertis conjecturis, futile explicatione exagitare sustinuerint. Huc pertinet parum probanda opinio, cui ipse Josephus Scaliger indulgere haud est dignatus, loco inesse disjecta poetæ ejusdam membra; quum, in ordinem digestis verbis, numeroque illis redditio, versus ex antiquo poeta, temporis injuria deperdito, ut putat, desumtos, consarcinat. Nec magnæ erat operæ, Ciceronis verba ad metricam, eandemque jambicam, formam revocare; sed lusum potius criticum, quam certam explicandi rationem sapit, ob fortuitam quandam similitudinis speciem, autoris verba, haud temere tentanda, movere. Transpositio verborum, mutante Scaligero, ita se habet:

Nihil horum simile apud Lacænas virgines,  
Quæis mage' palæstra, Eurotas, sol, pulvis, labor,  
Militia in studio est, quam fertilitas barbara \*).

Quoniam vero Cicero, in aliorum scriptorum sententiis laudandis, inque autorum nominibus afferendis inter paucos exactus atque certus, nihil afferat, unde nobis in mentem veniat talia suspicari; quumque nulla melioris fidei codicum auctoritate transpositio sæpius dicta nitatur, nulla textus mutatio admittenda videtur.

Jam igitur, illis otiosi animi lusibus omissis, quas passim attulerunt viri docti parum probabiles loci emendationes et explicationes inspiciamus. Etenim quum omnes, miro quodam consensu, errorem verbis sublatentem deprehendisse sibi viderentur, vulnus sanare varie tentarunt; verum quid proficere queant passim oblatæ medclæ, vix reperies, quum pleræque adeo sint absonæ, ut, in textum receptæ, vix commodum, nedum verum sensum efficere valeant. Alii enim *temeritas*, alii *facilitas*, alii *futilitas* legere jubent: ex quibus aliisque similibus conjecturis, qui justum sensum, justum dico? immo vero tolerabilem extricaverit, magnus mihi erit Apollo.

Tertium est illorum genus, qui, dum lectionem vulgatam retinent, omni mutatione rejecta, in expli-

\* Simile quid Turnebo in mentem venisse video; qui, mutatione angustioribus circumscripta limitibus contentus, reliqua autoris verba intacta reliquit, verum acroteleum

fertilitas barbara

ex antiquo poeta desumptum putat. Cfr. Turnebi Adversaria, libr. IV, cap. 18. 10—20.

cando τῷ *fertilitas* hærent. Sunt igitur, qui *fertilitas* luxum, sive lætam rerum copiam significare contendant. At vero significet *fertilitas* foecundam rerum quarumcunque copiam: loquatur Sedulius \*) de "divite, opima, tumente fertilitate": occurrat apud Plinium passim de omni in suo genere ubertate, quid ad nostram faciet rem? quid ad illa, quæ invicem sunt opposita "Eurotas, sol — fertilitas" explicanda inde redundabit? quis denique beatam rerum quarumcunque copiam et ubertatem appellavit *barbaram*? — Turnebus \*\*) nullam quidem textus mutationem admittit, dum vero vulgarem eundemque verum fertilitatis sensum neglit, quæque clicere non licet, anxie rimatur, in avia se duci passus, profert explicationem, quæ, si unquam ulla, sensui repugnat. "Fertilitatem, ait, ego puto delicias, ornatus, luxumque significare, quibus Medorum et Trojanorum nurus (sed de *harum* ornata quis injecit sermonem?) et virgines ornatae magnifice comtæque erant, ut, quemadmodum fertilitas in solo feraci et foecundo dicitur frugum copias gerente, ita fertilitas dicatur de illis, quæ cultum vestitumque eximum gestant, gemmisque et margaritis, torquibus et catenis aureis ornatae sunt." Hactenus Turnebus. Verum cui probabit Vir doctissimus, Medos solos et Troas nuncupatos esse barbaros? \*\*\*) Huc accedit,

\*) Sedulii Carmina libr. IV. 40.

\*\*) L. c. pag. 121.

\*\*\*) Alio, quod mireris, Adversariorum loco (libr. IX, cap. XVII, pag. 284) iterum de fertilitate *barbara* locutus, amplioribus finibus usus, barbaros ex Phrygibus et Persis constare autumat.

quod, margaritarum gemmarumque copiam *fertilitatem* recte dici, valde dubitare licet.

Jam vero redeamus ad lectionem vulgatam, qua, me saltem judice, nihil sensui magis accommodatum: Qui enim ex illo, quem de republica Lacedæmoniorum conscripsit Xenophon, libro, ex Plutarchi vita Lycurgi, et, ne alios recenseam, Stobæi sermonibus, vel levissimam legum Spartanorum sibi contraxit notitiam, memoria retinebit, quanti fecerit Lycurgus ingentem prolem, et quantopere leges Spartanæ inculcaverint civibus, in numerosa, eademque fortí ac strenua, edenda prole finem denique conjugii esse situm. Frustra inficias ibit vel acerrimus legum Lycurgi laudator, quin, quæ de matrimonio latæ sint leges, *barbara* o: immani, ferarumque vitæ haud absimili, ratione ad *fertilitatem* cives instigare videantur \*); et quodnam

\* Martialis aliquot versus, quibus, ut mea fert opinio, hinc aliquid lucis affunditur, hic tangere licet.

Argivas generatus inter urbes  
Thebas carmine cantet, aut Mycenæ,  
Aut claram Rhodon, aut *Libidinosæ*  
Ledæas Lacedæmonis palæstras.

Epigr. lib. IV, 55, 5-8.

Et enim cur *Libidinosa* audiat Lacedæmon, haud dubito, quin miratus fueris; verum parum satisfaciunt, quæ sunt allatæ explicationes. *Libidinosæ*, ajunt, dicuntur, quatenus Veneri consecratæ, vel propter gymnicam puellarum luctam, vel propter Helenam. Suum quisque sequatur judicium: mihi quidem parum arridet, totam Lacedæmoniorum urbem ob Helenæ solius impudicitiam audire libidinosam, quo nihil injustius. Lacedæmonem porro Veneri esse dicatam, nulli negabimus, siquidem hujus rei, ne longius abeamus, luculentus testis

hac in re inter barbaros, a Græcis tantopere despectos\*), et Spartanos intercesserit discrimen, equidem non video. Apud Persas, aliasque barbarorum gentes πολυτεκνίᾳ præmia sua aderant proposita, dum, ut Musonii in Stobæi Sermonibus verbis utar, ἐνόμισαν τὸ πληθύνεσθαι τοὺς τῶν πολιτῶν οἴκους, χρησιμάτατον, βλα-  
βερότατον δὲ, τὸ μειοῦσθαι \*\*). Cui enim haud innotuit δίκη δψιγαριού, et illa, quæ cuivis conjugii experti injungebatur, poena? cui denique inauditum, ab ipsis Romanis receptum, jus trium liberorum? Cujus rei luculentus testis, ne alios excitem, adsit Aelianus \*\*\*), qui legis mentionem injicit, ex qua Spartanus, qui tres filios suppeditaret reipublicæ, ab excubiis esset liber, qui vero quinque (al. quatuor) ab omnibus publicis officiis et sumtibus immunitatem haberet: quæ sunt omnia ejusmodi, ut cunctarum pessimam legem, quæ uxorem commodandi potestatem concederet, silentio debito ac justo præterire posse mihi videar. Recte enim Aristoteles \*\*\*\*): βουλόμενος γὰρ δ νομοθέτης (Lycurgus) ὡς

est ipse Martialis, qui (libr. IV, epigr. XLIII, v. 5), de monte Vesuvio locutus adjungit: "Hæc Veneris sedes, Lacedæmone gratior illi." Verum quæ est ista perversitas, idcirco illi libidinosæ attribuere nomen? Restat igitur, ut, Ciceronem auctorem secuti, de legibus Lycurgi satis libidinosis mentionem fieri putemus.

\* ) Herodot. I. 22.

\*\*) Stobæi Sermon. LXXIII. pag. 448 ed. Basil. 1549.

\*\*\*) νόμος ἐστὶ τοῖς Σπαρτιάταις, τὸν παρασχόμενον νίοὺς τρεῖς ἀτέλειαν ἔχειν Φρουρᾶς· τὸν δὲ πέντε, πασῶν τῶν λειτουργῶν ἀφεῖσθαι. Aeliani variæ historiæ libr. VI. cap. 6.

\*\*\*\*) Aristotelis Politica libr. II. cap. 7. ed. Schneideri Vol. I. pag. 67. cfr. vol. II. pag. 132.

*πλείστους εἶναι τοὺς Σπαρτιάτας, προάγεται τοὺς πολίτας, ὅτι πλείστους ποιεῖσθαι παιδας;* quin omnino digna est, quæ perlegatur, illa, quam instituit Aristoteles, reipublicæ Lacedæmoniorum examinatio.

Si hac explicandi via institeris, recte sese habent Ciceronis verba, nec ulla opus est mutatione: Lacænæ, ait, virginis militia, sol, pulvis et palæstra magis sunt in pretio, quam ἔργη "Αφροδίτης et barbara immanisque fertilitas, quæ secundum leges Lycurgi tanquam reipublicæ fundamentum censenda videbatur. At dicet quispiam, fertilitatem optime de almæ terræ ubertate, de mulierib[us] foecunditate vero non ita usurpari solere: verum haud desunt indubitatæ auctoritatis scriptores, qui illam, quam attribuimus verbo, significationem stabiliiunt atque confirmant. Plinius \*), ne aliquis excitem, sermonem de foecunditate animalium instituens, addit de equo: "sed ad generandum paucis animalium minor fertilitas; qua de causa per intervalla admissuræ dantur." Adest denique, ne justo longius abeam, testis Ovidius \*\*), qui de Saturno, prolem, ut quæque erat edita, præ timore devorante, adjungit:

Sæpe Rhea questa est toties foecunda, nec unquam  
Mater, et indoluit fertilitate sua.

Quibus omnibus allatis efficitur illud, ut dubitare vix liceat, quin nulla sit admittenda lectionis vulgatae mutatio.

\*) Plinii historia natur. libr. VIII. cap. LXVI. 20. ed. Har-  
duini A. 1723. vol. I. pag. 467.

\*\*) Fastorr. libr. IV. v. 201, 202.

## §. 4.

*Ποία δέ τις τὴν ὄψιν; λευκὴ μὲν, οἰλαν εἰκὸς  
ἐκ κύκνου γεγενημένην ἀπαλὴ δὲ, ὡς ἐν ὀῷ  
τραφεῖσα, γυμνὰς τὰ πόλλα καὶ παλαι-  
στική.*

Luciani judicium Paridis. §. 14.

Quum in venustissimo, qui judicium Paridis inscribitur, dialogo, in eo est Lucianus, ut Veneris ore descriptionem formositatis Helenæ instituat, hæc quoque occurrunt: *γυμνὰς τὰ πόλλα καὶ παλαιστική*, quæ, repugnante sensu, contra solitam autoris scribendi rationem, ad rem palæstricam ab interpretibus conversa esse video.

In rebus amatoriis justo procliviorum esse nostrum ad removendum illud, quo indutus incedit amor, velamen, quis est qui neget? quis est qui probet? At vero, quum cuivis scriptori sit suus color, et sua fingendi scribendique ratio, rite interpretanti, quæ ad intelligendos dijudicandosque scriptores adeo faciant, negligere vix licet. Quid? quod solitam hujus loci interpretandi rationem secutus, anachronismum trecentorum annorum deprehendas necesse est, qui, etsi in melioris notæ comicis exemplo haud destitutus, absque necessitate admittendus nullo pacto videtur \*). Con-

\*) Nec desunt, quod mireris, quibus Lucianus, hanc ob rem, carpendus videatur, adeoque eorum, quæ peccaverint ipsi, autorem persoluturum esse poenam censeant. Huc pertinent, ne alios laudem, Cognatus (Luciani Oper. Basileæ 1563. Vol. II. pag. 43), et post eum Vieland. (Lucians VVerke Vol. II. pag. 143),

stat quidem, inter Lacedæmonios illud quoque obtinuisse, et legibus Lycurgi esse sancitum, ut cum adolescentibus exercentur puellæ: cuius rei documentum præbet insignis illa Propertii elegia, quæ hoc nomine inter Romam et Spartani comparationem instituit \*). Verum cavendum, ne, quæ apud Propertium \*\*) de Helenæ cum Polluce et Castore fratribus lucta, ejusque arma gestandi ratione occurrunt, ad Luciani verba explicanda temere convertas: quo enim magis primo obtutu huc facere videntur, eo cautius agendum, ne ficta veritatis specie impellaris in fraudem. Qain omnino videndum — eoque magis, quo saepius est in eo peccatum — ne nimio inducti studio, autoris verba ad unum aliudve institutum, quod inter veteres obtinuit, revocandi, et, quo dicta fuerint, animi motui, vel, quo scripserit autor, consilio, parum intenti, in avianos duci patiamur. Non enim illud nunc agit Lucianus, ut, Propertii vestigia premens, poetarumque Alexandrini ævi more usus, institutum aliquod reconditionis ævi ad suum consilium accommodet, verum ut simplicem, quoque simpliciorem eo venustiorem, formositatis Helenæ descriptionem instituat. Describitur igitur candida, et merito, qualem decet esse cyano natam: deinde mollis, nec id injuste, ut in ovo nu-

\*) Propertii Carm. libr. III. El. XII. (XIV. pag. 237. ed. Barthii).

\*\*) Qualis et Eurotæ Pollux et Castor arenis

Hic victor pugnis, ille futurus equis.

Inter quos Helena nudis capere arma papillis  
Fertur, nec fratres erubuisse deos.

trita: verum attendas velim, quam parum sit accommodata propositæ rei tertia laus: nuda plerumque, luctæ et palæstræ dedita (*γυμνὰς* (al. *γυμνῆς*) τὰ πολλὰ καὶ πελαιστικῆς). Frustra laborabit subdola illa Venus, si amicam appromiserit Paridi, quæ, Minervæ et Dianæ sacra secuta, contemtui habeat vim potestatemque Amoris. Adeone oblii sumus, quæ Minervæ nuper respondit juvenis: Non opus est mihi bello atque pugna; nam pax, uti vides, nunc obtinet Phrygiam, belloque nullo infestatur imperium patris? Recusavit imperium et totius Asiæ dominium, quod, si ipsam forma præstantissimam judicasset, pollicita fuerat Juno: respuit idem virtutis honorem, summamque belli gloriam atque sempiternas victorias, quæ summa obtulerat ei metuenda belli virago. Quæ est igitur inepta illa subdolæ imprimis Veneris persuadendi ratio, si bellicosam eandemque palæstræ studio deditam amicam pollicita fuerit Paridi? Nonne etiam ἐρωτικὴν appellavit illam ipsa Venus (§. 13), peritam, ut præclare est in versione latina, nequitiæ amatoriæ? Quæ quum ita sint, rejecto omni ad palæstricas Lacedæmoniorum res respectu, restat, quæ mea saltem est opinio, ut de amatoriis rebus, pro solito Luciani more, agi censemus \*).

\* ) Expressisse mibi videtur, quæ sunt in Propertii Elegia cit. v. 3—4, si ultima prioris versus verba a ceteris, quæ antecedunt, segregaveris. Ceterum, ut, quasi alia agendo, hæc de Propertii carmine moneam, vulg. lectio *laudes*, quam rejiciendam unanimo quasi consensu existimant omnes, exemplis haud omnino est destituta. Ut enim apud Græcos sæpius inter se commutantur ἀδηλος et ἀδηλον, sic pro victoria vel pugna *laudem* bis inveni;

Haud quidem me fugit, Spartanorum puellas, quæ, tunicis dissolutis, femora ostendebant, φαινομηρίδας audiisse; verum qui recte sapit vix insitiabitur, Propertii *nuda* æque ac Luciani γυμνὰς pertinere ad illas loquendi formulas, quæ ambigue dictorum nomine insignitæ, saepius etiam apud Veteres occurrunt. Contendant denique, si qui voluerint, jam supra memoratum Propertii carmen ad palæstricas solas, nec simil ad amatorias res spectare — quanquam, qui hæc dixerint, etiam atque etiam monitos velim, ne veritatis specie decepti pro Junone arripiant nubem — quid tandem ad aliud ejusdem Propertii poematum sunt responsuri? Ille enim, dum amores haud absque solita protervitate narrat, addit:

Ipse Paris nudā fertur periisse Lacenā,  
Quum Menelæo surgeret e thalamo:  
Nudus et Endymion Phæbi cepisse sororem  
Dicitur, et nudæ concubuisse Deæ \*).

prima vice apud Livium occurrit: "Muliebris certaminis laus (certamen et inde orta victoria) penes Lucretiam fuit" (libr. I. c. 57); altera vice apud Ovidium, qui Helenam de castis suis ante Paridis adventum moribus, deque pudica sua atque inculpata ante acta vita ita prædicantem inducit:

Si non est facto vultus mihi tristis in ore,  
Nec sedeo duris torva superciliis:  
Fama tamen clara est; et adhuc sine crimine vixi:  
Et laudem (victoriam) de me nullus adulter habet.

Ovidii Heroid. XVII. v. 15—19. Cæterum cfr. Luciani Luc. c. 9—10.

\* ) Propertii Elegg. Libr. II. El. XII. v. 13 sqq. (XV. p. 116 ed. Barthii).

Res loquitur ipsa, quod semper valet plurimum: unde ne opus quidem esse videtur amplioribus verbis inculcare illam, quæ inter Propertii et Luciani verba intercedat, similitudinem, et de ea, quæ ex illius carmine nostro loco affundatur luce, uberior agere.

## §. 5.

*Kai Σπάρτης ἐπέβην, Λακεδαιμονος ἔδρανον  
ἀστυν,*

*\*Ηχι μόθον καὶ ἀεθλον ἀκούομεν ἀγλαϊάων·  
Τοίην δ' οὐποτ' ὅπωπα νέην, κεδνήν θάπα-  
λήν τε.*

Musæus de Herone et Leandro carmen v. 74. 75. 76.

Jam supra mentionem fecimus eorum, quæ, ambigue dictorum nomine insignita, apud veteres passim offendimus. Hujus generis esse *nudus* atque *γυμνᾶς* luculenter satis probasse mihi videor: nec de verbis *θαυμάζειν* et *admirari* eadem asserere poenitebit, cuius ambiguitatis haud adeo obviae hæc duo exempla attulisse sufficiat. Musæus, quem quarti seculi scriptorem esse concedas necesse est, juvenem, amore incensum et illius quasi oestro percitum, hisce satis ambiguis verbis adumbrat atque depingit \*):

*Kai τις ἐν θησέοισιν ἐθαύμασε, καὶ φάτο μόθον.  
Quem secutus videtur Horatius \*\*), dum, pro solito  
more, Græcorum vestigia premens, et ad vitam, dum  
vivit, fruendam adhortans Sextium, addit:*

\*) Musæus de Herone et Leandro v. 73.

\*\*) Horatii Od. libr. I. IV. v. 19.

Quo simul mearis,  
Nec tenerum Lycidam *mirabere*, quo calet *juventus*  
Nunc omnis.

Ejusdem ambiguitatis perspicuum, immo haud scio an luculentissimum, exemplum intactum relinquere haud sustinebo. Quum ex fabulis Aristophanis praeclaram illam *Lysistratæ* scenam in mentem revocaveris, in qua ad magnum suum consilium perficendum mulieres undique collectas auxiliatrices convocat *Lysistrata* — cujus utrum lubricam rationem magis averseris, an lepores mireris, eris in dubio — retinibus memoriam festivi illius responsi, quo omnes Calloonices dubitationes adeo refellit *Lampito*, ut ipsa, veritate convicta, et pedibus in sententiam ejus transiens, hæcce, quæ ad nostram rem magnopere faciunt, verbis exprimit:

‘Ο γὰν Μενέλαος τᾶς Ἐλένης τὰ μᾶλά πε  
Γυμνὰς παρεσιδὼν, ἐξέβαλ’, οἴω, τὸ ξίφος’

(*Lysistr.* v. 155 sq. Br.)

Quibus addit interpres Græcus ad *Vespas* v. 712: τὸν Μενέλαόν φασιν δρμήσαντα ἐπὶ τὴν Ἐλένην, ἀποβαλεῖν τὸ ξίφος; et ad nostrum locum excitat Euripidem, qui (*Andromache* v. 629) Peleum ita Menelaum objurgantem profert:

Οὐκ ἔκτανες γυναικα, χειρίαν λαβὼν,  
’Αλλ’, ὡς ἐσεῖδες μαστὸν, ἐκβαλὼν ξίφος,  
Φίλημ’ ἐδέξω.

Num igitur apud Aristophanem nominatur *Helena* γυμνὴ, utpote quæ rei palæstricæ dedita? Minime. Neget igitur quispiam, si qua sustinuerit, summam utriusque autoris in usu vocabuli constantiam: ambi-

guitas vero, quam exhibere studuerunt Aristophanes atque Lucianus, nequaquam revincetur.

Jam vero, omissis, quæ jam attigi, ambigue dictis, quorum, si anxie quæsieris, plura et forsitan magis luculenta tibi aderunt exempla, transeamus ad Musæum, ut quæ in illius poematio tentanda esse censuerimus, in medium proferamus \*).

Ubi Hero, formæ præstantissimæ foemina, inter confertos in templo deæ collectos cultores apparet, mirabundus spectatorum aliquis his verbis, ex intimo animi sensu, formosam deæ sacerdotem salutat:

*Kai Σπάρτης ἐπέβην κ. τ. λ. v. 74—76.*

Utrum proprie de certaminibus, Spartæ re vera habitis, an metaphorice de perfecta omnibusque numeris absoluta pulchritudine \*\*), certaminis imagine expressa,

- \* ) Si quis de Musæo ejusque carmine uberioris disserentes nos audire cupiat, adeat Engelstofii V. Cel. Annales scholasticos, 1810, Fascicul. III. pag. 4—32: verum ne opinetur, quæ ibi sunt disputata, iterum nos trutina esse examinaturos.
- \*\*) Nihil faciunt, qui ex Floro haud absimilem loquendi formulam exculpunt. Dum enim ille (Histor. Roman. libr. I. cap. XVI.) pluribus verbis exponit uberrimam et amoenissimam Campaniæ plagam, addit: "nihil uberior solo: ideo *Liberi Cererisque certamen dicitur.*" At vero obliti sunt illi, Polybium (Histor. libr. III. c. 92) referre fabulam, ex qua intelligere licet, Liberum atque Cererem, propter summam vini atque frugum fertilitatem, de Campaniâ inter se revera contendisse: unde Flori elocutio sententiam nostram non modo non refellit, verum etiam summopere confirmat. Et si vel nulla hujus certaminis apud veteres fieret mentio, ad

sermo sit, in dubium vocari poterit, nec defuerunt utriusque huic sententiæ sui patroni. Verum tamen haud sunt audiendi illi, qui habuisse inter Græcos formositatem etiam sua certamina præfracte negent \*). Erant enim Græci, si qui unquam, ἀγωνόφιλοι, et quæcumque ipsis in pretio essent atque honore, festis celebrabantur, certaminibus atque propositis præmiis, quoniam, ut Valerii Maximi verbis utar \*\*), nihil splendidius, et nihil simul utilius certamine existimarent.

Miror igitur, quod nemini, quantum video, Musæi interpretum in mentem venerit, osculorum illud certamen, quod Diocleia (*Διοκλεῖα*) nuncupantes, Mega-

nostra evertenda nihil efficerent illa, siquidem certamen pro eo, de quo certatur, *amores* pro eo, qui amatur, passim occurrunt.

\* ) Autor symbolarum danic. ad interpret. Antholog. (p. 222), qui, Heinrichium, uti semper, secutus, ejusque metaphoram explicandi rationem amplexus, quæ deliquerit ipse, poetæ vitio vertit, subactum autoris iudicium desiderat. Nec prætereundum satis ridiculuni Carpzovii argumentum, (observationum philologicarum in Palæophatum periculum pag. 115) quod ex Mathiæ Röveri præfatione, editioni Musæi ab ipso curatae præfixa, petit. Quum enim ille, carmen Musæi laudibus efferens, commemorat "esse opus ipsius Amoris, ubi cum Gratias Venus certare videtur," Carpzovio videtur Röverus non solum locutus "eleganter, nulla ad pugnam luctamve habita ratione," verum et inde certum, quod mireris, argumentum petit, quo probet metaphorica loquendi forma usum fuisse Musæum.

\*\*) Valer. Maxim. libr. II. 10. ed. Torrenii pag. 129.

renses quovis vere in sempiternam Dioclis memoriam agerent, huc referre. Fama enim est, Dioclem Atheniensem — utrum in bello, an in violentioris certaminis genere, parum liquet — delicias suas atque amarium clypeo dum tegeret, vitam amisisse, quod adeo mirandum omnique laude prædicandum Megarensibus videbatur, ut heroem illum agnoscerent, festoque ejus in memoriam instituto inferias ei agerent. Illuc conveniebant formosissimi totius Græciæ pueri, et electi judices cognoscebant, cui, ob summam oscula dispensandi dexteritatem, attribuenda essent proposita certaminis præmia, corollæ et sertæ. Huc pertinent suavissimi, quorum dulcedine vix satiari licet, Theocriti versiculi:

Νιστοῖ Μεγαρῆς, ἀριστεύοντες ἐρετμοῖς,  
 "Ολβίοι οἰκοίτε, τὸν Ἀττικὸν ὡς περίαλλα  
 Ξεῖνον ἐτιμήσασθε Διονύσεα τὸν φιλόπαιδα.  
 Αἱεὶ οἱ περὶ τύμφου ἀδλέες εἴαρι πρώτῳ  
 Κοῦροι ἐριδμαίνουσι φιλόματος ἄκρα φέρεσθαι  
 "Ος δέ νε προσμάξῃ γλυκυεράτερα χείλεσι χείλη,  
 Βριθόμενος στεφάνοισιν ἔχην ἐσ μητέρ' ἀπῆλθεν.  
 "Ολβίος, δόστις παισὶ φιλόματα κεῖνα διαιτᾶ.  
 "Η που τὸν χαροπὸν Γανυμήδεα πόλλ' ἐπιβωστρεῖ,  
 Λαδίη ἵσον ἔχειν πέτρη στόμα, χρυσὸν δόποιη  
 Πεύθονται, μὴ φαῦλον, ἐτήτυμον, ἀργυραμοῖβοι \*).

\*) Theocriti Idyll. XII. v. 27—37. ibique Scholiast. Fuisse quidem, qui Theocritum venustum et dulcedine imbustum poematum concinnasse negaverint, haud me præteriit: et post Heinsium, qui (Lectiones Theocrit. c. 18) facilius, cujus non sit idyllium, quam cujus sit, con-

Quid? quod Diagoram sexies (alii de multis victoriis interpretantur) in Megarensi Ludo ο: Diocleis victoriam reportantem, et alium quendam Aristomenem simili ratione Megaris victorem memorat Pindarus \*): unde, quam notum fuerit festum illud, perspicere poteris.

Quum igitur in dulci oscula figendi dexteritate haud defuerint ipsis certamina, exspectare licuit, etiam pulchritudini summæque formositati suas haud defuisse

jici posse existimat, multos, inter quos Valckenarium, Brunckium, aliosque summæ auctoritatis criticos, Theocrito poematum abjudicare haud dubitasse. Quum vero jam quarto seculo Theocrito adscriptum illud invenimus, et Musa ejus, rustica quidem atque agrestis, mollem suam atque suavem indolem identidem dissimulare nequit, — cuius suavitatis exemplum Idyll. XVIII. attulisse sufficiat — vix, quantum video, reperietur causa, cur sit a ceteris autoris poematibus segregandum.

\*) Sic de Diagora: (Olymp. Od. VII. 156).

*Αἴγινα, Πεδάνα τε, νικῶν -  
δέξαντος ἐν Μεγάροι -  
σὺν τούχῃ ἔτερον λαθίνα  
φῦφος ἔχει λόγον.*

(ο: vicit etiam sexies), unde intelleges, Megarenses solitos fuisse nomina victorum columnis lapideis incidere. Laudibus pariter attollens Xenophontem Corinthium (Od. Olymp. XIII. v. 155) addit: quam multa ille gesserit, testabuntur:

*Πεδάνα τε, καὶ Σικυών,  
Καὶ Μέγαρος.*

et de Aristomene Ægineta eadem jactans (Od. Pyth. VIII. 112) adjungit:

*Μεγάροις δέξεις γέρας.*

unde nobilitas horum certaminum satis superque nobis constabit.

laudes. Adeoque sunt hanc in rem luculenta veterum testimonia, ut, cur in dubium fuerint vocata certamina illa, et quomodo eos, qui hæc refellere studuerint \*), effugerint satis noti ἀγῶνες, sic dicti καλιστεῖα, intelligere vix queas \*\*). Recte quidem apud Athenæum memoriae prodit Theophrastus: "apud barbaros, lectos judices de mulierum temperantia, et in administranda re familiari prudentia, decernere, alibi (apud Græcos videlicet) de forma, ceu utique honoranda et magni facienda: quamvis ea dignatio vel fortunæ imputanda sit vel naturæ, et temperantia morumque sanctitate p̄partam laudem æquum sit anteponere. Sic enim commendanda formæ præstantia, alioquin præceps in odiosum petulantiam \*\*\*)." Hactenus recte Theophras-

\*) Quod his annumerare cogor ipsum Heynium, mirari satis nequeo, qui, ceteroquin haud absque acumine, totam de hisce certaminibus φέτιν ex Homeri loquendi formula: οἱ καλλει ἐνίκων φύλα γυναικῶν, effictam esse suspicatur. Vid. Heynii var. lect. et obss. ad Il. i, 130. Vol. V. pag. 552.

\*\*) Nec illud silentio præterire sustinebo, quod ex ipso Musæo petere licet, scholiastam ad carminis versum 197:  
 Ἐξωτος ἀεθλεύειν ἀγῶνα,  
 rem explicantem addere: ἀεθλον, ἀγῶνα. Male igitur, quæ mea est sententia, καλιστεῖα interpretatur Coelius Rhodiginus "selecta cuiquam præmia, sicut, quæ virtutis ergo contribuuntur, aristæa vocantur" (lectiones antiquæ libr. XI. cap. XVI. pag. 506): siquidem corporis solius, nec, ut Socratici libri interpretantur τὸ καλὸν, mentis quoque dotes spectant illa, quæ καλιστεῖων nomine insigniuntur, præmia.

\*\*\*) Apud Athenæum: vid. Deipnosophist. libr. XIII. ex edit. Isaac. Casauboni (1597) pag. 610.

stus: verum pro diversis moribus diversam esse cogitandi, agendique rationem, quis ignorat? et, si barbaræ gentes maximi æstimarint mulierum temperantiam inque administranda re familiari curam atque diligentiam, cur Græcos, pro suo magis efformato capti, proque elegantioribus et magis mollitis moribus, formositati quoque suas, easdemque justas ac debitas, laudes persolvisse miremur?

Jam vero, ad singula transeuntes, reperiemus, quod opinari erat in promtu, quæ summa affluerent pulcherrimarum mulierum copiâ urbes, in certaminibus istiusmodi instituendis primas ac præcipuas fuisse. Cui enim inauditum, quod hinc originem traxit, satis obvium atque vulgare Homeri epiphonema: 'Αχαιοῖς παλιγόναια? Verum et aliæ regiones erant formositate mulierum insignes. Testante enim Athenæo (l. c.) in eo consentiebant Hesiodus atque Theophrastus, quod in toto Euboeæ tractu egregia esset mulierum forma. Nymphiodorus (*ἐν τῷ τῆς Ασίης περιπλάνῳ*) Tenedias mulieres (Trojæ vicinâ insulâ oriundas) omnes alias ubivis terrarum pulchritudine superasse tradit. Nec minore fama floruit Lesbiarum pulchritudo, si Homeri verbis fiducia detur:

Δώσω δ' ἐπτὰ γυναικας, ἀμύμονα ἔργον εἰδονίας,  
Λεσβίδας, ἀς, ὅτε Λέσβου ἐνκτιμένην ἔλεν αὐτός,  
Ἐξελόμην \*).

\* Sic enim, contra Heynium, et, quem sequitur, Scholiasten A, non in verba Aristarchi temere jurantes, qui pro ἀμύμονα restituit ἀμύμονας, verum ipsis scholiis minoribus usi, et lectionis vulgatae vestigia prementes, ip-

Jam vero notum, teste Athenæo \*), de mulierum forma certamen olim institutum fuisse ab eo Cypselo, qui urbem (Telpusam vel Telphusam?) prope Alpheum condidit, ad quam inhabitandam quum e Parhasiis quidam convenissent, lucum et aram Cereri Eleusiniæ consecrarunt, ejusque festo de pulchritudine certamen ut fieret, edixerunt, in quo prima victrix mulier fuit Herodice. Quid? quod affirmat Athenæus, celebrari ad suam usque memoriam (finem seculi tertii p. Chr. n.) illud certamen, et quæ in eo contenderent foeminæ, χρυσοφόρους fuisse appellatas. Huc accedit quod de istiusmodi apud Lesbios certamine vix improbandus autor est ad Homeri Il. 1., 130 Scholiasta: παρὰ Λεσβίοις, ait, ἀγὸν ἀγεταὶ κάλλους γυναικῶν ἐν τῷ τῆς "Ηρᾶς τεμένει, λεγόμενος καλλιστεῖα; nec, cur rejiciendum sit testimonium illius, quod haud obscure innuit Heyniius \*\*), perspicere me posse ingenue fateor. Jam in Elide fuisse κρίσεις κάλλους, autor est Athenæus: fuisse vero illud virorum, ex iis, quæ in medium profrebantur præmia, facile intelligitur. Quem enim pulcherrimum esse judices pronuntiaverant, ei vasa Dei ferenda tradebantur: proximus ab eo bovem victimam agebat: tertio vero infulæ, coronæ, libamina,

---

sorum denique verborum sensu ita flagitante, cum Wolfio legendum censuimus. Homeri Il. 1., 128 sqq. cfr. Heynii var. lect. et obss. Vol. V. pag. 550.

\*) Deipnosophist. libr. XIII. p. 609 edit. Casauboni (edit. Schweighaeuseri cap. XC. ejusd. libr. Vol. V. pag. 208, et Animadv. Vol. VII. p. 308).

\*\*) Heynii Variæ lection. & observ. ad Il. 1. v. 130. Vol. V. pag. 550.

ejusdemque generis cetera imponebantur: factisque libationibus, tradebatur præmium victori armatura, quæ dedicabatur Minervæ; qui vero victoriam reportaverat, vittis ac tæniis redimitus, myrtoque coronatus, ad Deæ templum ab amicis ducebatur \*).

Jam vero quis ignorat, Spartam ipsius Homeri ævo audiisse *καλλιγύναια*? Haud ignobile est vetus illud oraculum:

*"Ιππον Θετταλικὸν, λαμπδαιμονίην τε γυναικα.*

Quid, quod Heraclides apud Athenæum \*\*) memoriae prodit, apud Lacedæmonios virum pulcherrimum in admiratione magis fuisse, quam venustissimam foeminam, propterea quod Spartæ pulcherrimæ nascerentur foeminæ (*καλλιστας γεννώσις τῆς Σπάρτης τὰς γυναικας*). Quæ quum ita sint, quid est, quod de certaminis genere dubitemus etiam Lacedæmonie instituto, quod tot aliis Græciæ locis actum deprehendimus, si vel nulla, casu quodam ita ferente, apud Spartanos facta fuerit illius mentio? Huc accedit, quod, si metaphoricam verborum Musæi interpretationem admittimus, frigidius nihil, juvenique amore incenso minus congruum, facile reperies. Quod quo magis perspicias, allegatum

\*) Servavit nobis Suidas in ejusmodi certamine victoris alieujus tabula, ut ita dicam, votiva, his verbis:

*Τοιγας τῷ κρίναντι τὰ καλλιστεῖα Πριήπω*

*Νεῦριδα, καὶ χρυσένην τήνδ ἔθετο προχόνη.*

unde colligimus, juvenem formosum, eundemque victorem, pulchritudinis præmia, nervum, arcus et aureum gutturnium, Priapo dedicasse. Cfr. Suidæ lex. ed. Francisci Porti pag. 1361 sub voce *καλλιστεῖον*.

\*\*) Deipnosophist. libr. XIII. pag. 566. ed. Casaub.

te velim ad frigidas Achillis Tatii elocutiones, quas, probandi dicam? an objiciendi causa, huc attulerunt viri docti. Quid enim ad notionem sententiæ Musæi firmandam rejiciendamve facere poterit illa, quæ est apud Achillem Tatium, loquendi formula: τὸ τοῦ σώματος πάθος τὰ τοῦ λειμῶνος ἔριξεν ἀνδή? Occurrat denique apud Eustathium de Ismeniæ et Ismenidis Amoribus: οὐ ερισ παρ' ἡμῖν σωφροσύνης καὶ ἔρωτος — οὐ ἀγών μάνου καὶ ἔρωτος — οὐ ποταμοῦ καὶ γῆς φιλονεικία: quid inde efficies, quam, quod aliunde satis constat, metaphorica hacce oratione seriores sæpius fuisse usos, qua summam cuiusdam rei copiam atque ubertatem exprimerent, quoniam de vero inter pulchritudinem corporis atque florum in prato nascentium certamine, nemo, qui sapit et cui sana est mens, cogitare poterit. Quid denique Romanorum scriptoribus magis solitum, quam *desiderium v. e.* pro eo, quod desideramus, *amores* pro illis, qui amantur, adhibere? Cicero, ne in re satis obvia ambages quæramus, Terentiam suam sæpius in epistolis *desiderium* appellat. Valerii enim epistolis, ut uno contentus sim exemplo, certior factus, quemadmodum a Vestæ templo ad judicium sit ducta Terentia, his utitur lamentis: "Hem mea lux, meum *desiderium*, unde omnes opem petere solebant." Quid? quod Catullus haud absimili ratione refert:

Varrus me meus ad suos *amores*  
Visum duxerat e foro otiosum \*).

Est etiam apud Catullum, ni fallor, *lupanar* pro eo, cuius sunt dissoluti et parum pudici mores; et alio apud eundem loco *career* pro quovis, qui carcere atque vinculis haud indignus perhibetur. Omnino superstruenda est tota res quæstioni, utrum revera acta atque instituta fuerint istiusmodi pulchritudinis certamina, necne: et quum supra allatis probasse nobis videmur, certamina illa non fuisse solum, verum et omni studio atque industria habita atque acta, nihil est, cur ad frigidiores seriorum loquendi formulas refugiamus.

Quas igitur Lacedæmone vidit ipse Leander inter se contendentes præstanti forma mulieres, Heronem intuenti versantur ob oculos; verum, cui sit cessura, nullam adhuc se conspicatum fuisse, ingenue confitetur, quo ad formositatem illius laudibus efferendam efficaciem rationem reperire vix potuit.

(Ἡρῷ) πύργον ἀπὸ προγόνων παρὰ γείτονι ναῖς  
Σαλαῖσση.

Ejusd. poëm. v. 32.

Multæ sunt, nec, ut mihi quidem videtur, hucusque satis extricatae in cubiculo Heronis describendo difficultates; verum non ea est virium nostrarum vana fiducia, ut, quibus laborat res, difficultates aut plane dimovere, aut, quibus rationibus sint removendæ, docere nobis sumamus. Sufficiat igitur paucis indicasse, quam tanquam pellucidam et veram nobis venditant interpretum recentissimi turris adumbratam descriptionem, haud ita omnibus numeris esse absolutam, ut, rigidiori subjecta examini, satisfacere nobis valeat.

Fuerunt enim, et illi quidem antiquiores, qui a templo distare turrim autumarent, et, spatio interjecto, diversa esse inter se ædificia. Verum facile dabis, Venerem, utpote ipsam ex mari ortam, tanquam Deam marinam sub nomine Ἀφροδίτης εὔπλοιας fuisse cultam, et eandem ob rem templa illius ad mare sæpenumero fuisse exstructa \*). Etiam illud tenendum, exemplorum farragine probari posse, turres pro quovis altiori ædificio et imprimis templis occurrere; et illud etiam in causa fuisse, cur, verisimilitudinis specie inducti, contendent plurimi, turrim Heronis templumque Veneris unum efficere idemque ædificium. Verum hæcce explicatio, cuius ea quidem est laus, ut multis placuerit, speciem veritatis præ se ferre videtur, sed, an ipsam exhibeat veritatem, valde dubitaverim. Si enim sumitur, nullam esse templi turrisque diversitatem, explicet mihi aliquis, cur e cubiculo in templum, tanquam ex altero ad alterum ædificium, Leandrum transeuntem cernamus \*\*). Huc accedit, quod, quum Abydum redditurus est, amore quasi expletus, Leander, ad turrim (ἢ μεν ἐόν ποτὶ πύργον ἔβη) sc. e templo reverti dicitur Hero, quod allatae loci adumbrationi opposita quasi fronte repugnat; quoniam, si nullum, ut ajunt, exstat templi ac turris discrimen, a turri ad

\*) Si quis fortasse dubitet, Venerem εὔπλοιαν atque ποντιάδα sua quoque habuisse templa, allegatum illum velim ad Mitscherlich. ad Hor. Od. I. 3. v. 4.: nam quod ad turrim attinet, de edito quovis ædificiorum genere usurpatam, tanta est exemplorum copia, ut ea transscribere supersedere posse merito videamur.

\*\*) Musei II. et L. v. 32. 119.

templum redire neminem posse elucebit. At puto, Heronem, muneris ipsi tanquam sacerdoti impositi fungendi causa, revertisse. Verum, quænam erant illa, festo jam peracto, munera, quum præter Leandrum, amoris furore percitum, restaret nemo? Recesserat enim populus, et quæ nuper ad Deam salutandam convenerat pia turba, ad finem jam perducto festo, diversis viis domum petierat, dum tenebris suis obruerat omnia obscura nox (*ὅρφναίην ἀνὰ νύκτα*).

Verum sufficient jam allatæ, haud facile removendæ dubitationes, quo intelligas, non omnes in delineando loco remotas esse difficultates.

Restare porro videtur quædam in v. 229:

*Πλῶε βαθυχοήπιδος ἐπ' εὐρέα δῆμον Ἀβύδον.*  
difficultas, quam præteriisse potius, quam extricasse videntur interpretes. Si enim de navigatione acceperis, quomodo nautas latuisse potuerit, et longam suam in templo commorationem defendere valuerit Leander, vix elucebit: sin natando eum rediisse malueris, non facile animo comprehenderis, cur prima vice (v. 224) molestia adeo ratione redeat amasius, idque eo magis, quod, Deam ut salutaret, ad festum venerat, nec, quid illi cum Herone fuisset negotii, ceteris constare potuerat.

*Εἶλε δέ μιν τότε Θάμβος, ἀναιδείη, τρόμος,  
αιδώς.* v. 96.

Quomodo uno eodemque tempore ἀναιδείην et αἰδῶ sentire potuerit Leander, legentes vix assequi suspicor:

nec tamen eos allegatos velim, ut fieri solet, ad alios utriusque linguae poetas, qui in eo saepius sunt, ut expressam eorum, qui sunt in amantibus, animi motuum imaginem lectoribus ob oculos sistant. Neminem enim praeteriit, quam artificiose in hisce describendis versatus fuerit, ne alios excitem, Tibullus, cuius in carminibus, venustate quasi imbutis, saepius deprehendere licet, quam quærimus, mutatarum rerum atque diversorum animi motuum præclaram descriptionem, dum in illis cum dolore gaudium, cum risu lachrymæ, cum tristitia hilaritas, cumque bona spe omnium rerum desperatio mire commutantur. Metum quidem atque securitatem, spem atque cuiusvis rei desperationem, utpote quæ externam vitam ejusque prosperam vel adversam conditionem tanquam fontem atque originem agnoscant, per vices sibi succedere recte finges. Quum vero pudor atque impudentia ex propriis cuiusvis moribus originem trahant, et, tanquam contraria, uno eodemque tempore hominum in animo consistere nequeant, aut mendum in contextu sublatere, aut parum acutum subactumque poetæ judicium fuisse contendas necesse est.

Quid insuper sibi vult prava illa sententia, quam v. 97 tibi offert: *αἰδὼς δέ μιν εἴχεν ἀλωναί*, quæ nec amatoris est, nec poetæ, qui de vera amoris indole certas sibi informavit notiones?

Verum quo magis hæc improbabis, et naturæ parum congruere autumabis, eo majore laude prosequendus videtur poeta, qui, felici ingenii impetu, ita de ultimo amantium congressu narrationem instituit, ut imminentि exitio succumbentes amantium res prænun-

tiare, et lectorum animis eorum, quæ jam sint ambo-  
rum vitæ et amori finem impositura, terrorem quasi  
incutere videatur. Huc pertinet illud quoque, quod  
est in initio poematis, tristis in portu Abydi undarum  
fragor, quarum in gemitu, et dolore quasi referto  
fluctuum sonitu, earum, quæ jam sint lectoribus pro-  
pinandæ, tristium rerum præsagia reperies.

---

In versu 98:

*Θάμβεε δ'εῖδος ἄριστον, ἔρως δ'ἀπενόσφιστην  
αιδώ.*

Satis inepte explicatur *θάμβεε* ab Heumanno et aliis, ita, ut erubuerit Leander, dum agnosceret, non esse viri ο: indignum esse viro, capi a femella et amore quasi emancipari. Verum vix erit, cui explicationem sint probaturi, quæ, si unquam ulla, indoli amoris valide repugnet. Immo vero summam exhibit Heronis laudem, cuius tam insignis est pulchritudo, ut primo obtutu *θάμβη* i. e. ἐκλήττηται, et, obstupefactus parumque sui compos, in summam formositatis Heronis admirationem abeat.

---

Nec illos adsensu dignos censeo, qui v. 42:

*Δὴ γὰρ Κυπριδίη πανδῆμος ἥλθεν ἐօρτὴ,*

interpretantes, de diversitate Veneris, deque duplici, quod pro diversa illius natura atque indole ei attribuitur, cognomine cogitant, tanquam sit de Ἀφροδίτῃ *πανδημίῳ* sermo injectus. Invicem differre Venerem sic dictam *օρφανίαν* et *πανδῆμον*, nemo facile negabit, nec

de Amore eadem contendere te poenitebit, unde apud poetas satis obvium "Ἐρως διφυῆς, et apud Orphicos: "Ἐρως οὐράνιος, πρωτογενῆς \*). Verum sine ullo ad hanc diversitatem respectu, retinenda est solita eademque satis obvia notio, quam πανδῆμος sæpius sibi adjunctam agnoscit, quicquid stato tempore solenni ratione eodem quasi gyro iterum reddit.

---

Sunt etiam, qui v. 125:

*Μῆνιν ἐμῶν ἀπόειπε πολυκτεάνων γενετήρων,*  
errorem in contextu indagasse sibi visi sint. Verum ad sensum esse melioris frugis, quas proposuerunt Heinrich — qui ἀλέειη legere mavult — et Teucherus — qui ὑπόδειδε corrigit — textus commutationes, nemo mihi persuadebit. 'Απόειπε enim et evitandi et renuendi sensum exhibet; et notum illud Homeri Θεῶν δ'ἀπόειπε κελεύθους (Il. γ, v. 406), quod ira accensa Helena Venéri objicit, non *renue* solum, verum etiam *evita* trahentes Deorum significare potest.

### §. 6.

Ad illa, quæ sub Orphei nomine feruntur, Argonautica pauca quædam allaturus, de ætate scriptoris Argonauticorum, et de illa, quæ inde exorta est inter doctos, lite nonnulla præmonenda esse censui. Quum enim ne inter antiquiores quidem defuerint, qui ipsi

---

\* ) Uti Deorum plures, sic Bacchus quoque πρωτόγονος καὶ διφυῆς in Orphicis audit. cfr. Hymn. XXX. (apud Hermannum XXIX.) v. 2. *Orphica Hermanni* pag. 291.

Orpheo poemata adscribere nulli dubitarent, altera ex parte \*) Aristoteles de carminibus *sic dictis* Orphei, deque illis, quæ nomine Orphei venduntur, carminibus dubitanter et suspiciose loquitur, testante, qui in eandem fere partem disputat, Cicerone \*\*). Si vero bene ponderaveris, plures exstisset inter veteres ejusdem nominis Orpheos, — Suidas enim eodem nomine insignitos sex commemorat — vix improbabile erit, Aristotelem ipsumque Ciceronem de alio quovis, quam de poeta, cuius viguit inter Thraces laus, locu s fuisse: eosque nunquam denegasse, in terris olim versatum fuisse Orpheum, summa ingenii gloria præditum, qui — nullis ad nostram memoriam carminibus relictis — agrestes atque barbaros homines cantu suo adeo deliniisse putandus est, ut, emollitis moribus, feritatem atque immanitatem magna ex parte deponere inceperint. Quod enim nullam illius mentionem faciunt Homerus atque Hesiodus, ad probandum refel-

\*) Huc pertinent inter recentiores Gerhard. Vossius (de natura artium pag. 110) et Croesius (historia Hebræorum homericæ pag. 146) quorum alter fuisse Orpheum negat, alter ex Arabico *Arifa* (nosse) derivat *Arif*, unde Orpheus (sciens). Verum non est, cur illud indigne ferat Orpheus, siquidem Musæus, discipulus ejus, ad nihilum redactus atque ex Musa, Μῶσα, Ῥψος (ars) derivatus, tandem, ut futilitas summum attingat fastigium, cum Mose confunditur. De utroque cfr. præterea Sickler, Homers Hymnus an Demeter pag. 63 sqq.

\*\*) "Orpheum poetam docet Aristoteles nunquam fuisse, et hoc orphicum carmen Pythagorei ferunt cujusdam fuisse Cercopis. (al. Cecropis-Cerdonis-Cerconis-Certonis)." Cicero Nat. Deor. I. c. 38.

lendumve nihil facit: quoniam non quævis, quæ silentio præterière antiqui, idcirco tanquam falsa et inepta rejicienda videntur: et ita assequi licet Aristotelis Ciceronisque alioquin subobscuram sententiam, Orpheo poemata vulgo ipsi tributa esse abjudicanda, quoniam litteris mandatum nihil reliquerat vetus ille, a poetis senioris ævi satis decantatus, Thracum vates \*).

Quamvis diversitatem autorum, diversamque, qua sint confecti, ætatem satis superque ostendunt, qui sub Orphei nomine feruntur, Hymni, in eo tamen consenserunt interpretum multi, quod, si vel major eorum pars post Christum natum confectos se esse haud dissimulet, non tamen deesse subobscura atque passim dispersa indicia atque vestigia, quæ illam, qua vixisse fertur Orpheus, ætatem innuere videantur. Nec refellenda omnino est Snedorffii nostri \*\*) de Hymnis Orphicis evulgata opinio, qui, J. Scaligerum \*\*\*), ut mihi videtur, secutus, rejecta solita

\*) Orpheum non scripsisse solum, verum dialectum quoque doricam adhibuisse, contendit Jamblichus (*de vita Pythagoræ cap. 34*), unde Gesnerus (qui omnia, quæ Orphei præ se ferunt nomen, et unius esse scriptoris, et dictionem etiam Homericam sapere autumat) Onomacritum doricam solummodo dialectum mutasse, et, aliis adjectis, aliis dentis, diasceuastam potius quam scriptorem Argonauticorum esse habendum perhibet. *Prolegg. orphica*, pag. XLIX.

\*\*) *De Hymnis Græcorum dissertatio* pag. 15.

\*\*\*) Josephi Scaligeri adnotationes in initia *Orphica*, ab ipso latine translata, ad No. 1.

Hymnorum vi atque notione, in quibus stirps et genus, gesta atque cetera, quæ ad deorum potentiam celebrandam faciunt, narrantur, contendere non dubitat, esse τελετὰς, invocationes deorum, quibus uti solebant in mysteriis per longam annorum seriem eo, quo confecti erant, consilio. Post Christum natum eorum plerosque esse scriptos, et potissimum ad placita Pythagoræorum ita accommodatos, ut veram doctrinam Orphicam ex illis elicere vix liceat, docte atque argute probare sibi sumsit Tidemannus \*).

Quod Argonautica attinet, non minus in diversas partes abierte docit: ne enim Toupium \*\*) excitem, cuius ex sententia Onomacritus vel Cleon illorum autor censendus est, Schneiderus \*\*\*) probare studuit, illa non solum ab Orpheo non esse confecta, verum esse "opus recentissimi", quin, ut Ruhnkenii \*\*\*\*) verbis utar, "Græculi alicujus recentioris et semilatini versificatoris." In contrariam partem abit sententia Ruhnkenii, summæ auctoritatis Critici, qui, miro quodam iracundiae motu abreptus, inque ceteros justo acerbius inventus, contendit, illum, qui Argonautica et Hymnos Orpheo subjicit, sive Onomacritus fuerit, ut plures tradunt, sive aliis, scriptorem certe esse vetustissi-

\*) In præclarissimo opere, quod ad hymnos et fragmenta Orphi dijudicanda in primis facit: Griechenlands erste Philosophen, oder Leben und Systemen des Orpheus, Thales, Pherecydes und Pythagoras pag. 33 seqq.

\*\*) Toupii Emendationes in Suidam Vol. II. pag. 98.

\*\*\*) Analecta Critica Fascicul. 1mo (1777) pag. 51—84.

\*\*\*\*) Epistole criticæ Vol. II. pag. 228.

mum, in quo, quamvis animum diligenter attenderis, ne levissimum quidem recentioris ætatis vestigium reperies, contra proba omnia et antiquitatem redolentia. Uti igitur Gesnerus Orpheum Thracem scriptorem eorum, quæ sub nomine ejus feruntur, agnoscet, sic Ruhnkenius, arctioribus usus limitibus, si non ipsum Orpheum veterem illum bestiarum dominatorem, at *vetustissimum* \*) quendam vatem horum poematum autorem censebat, loquendique rationem, paucis exceptis, Homericam plane formam sapere. Verum quas ad hanc suam comprobandum sententiam attulit rationes, consilio autoris respondere parum videntur: nam ad evertendum argumentum, quod contra majorem, qua vixisse fertur Argonauticorum scriptor, ætatem ex interprete Apollonii Rhodii græco petitur, qui, occasione utique data, nullam illius instituit mentionem, nihil facit illud, cui multum tribuit Ruhnkenius, Orum et Draconem Stratonicensem, Grammaticos, Argonauticorum loca quædam excitare: nec enim de ætate, qua vixerint illi, nobis constat, nec exploratum habere licet, an, quæ laudent ii, ex illis quæ restant nobis Argonauticis fuerint desumpta.

Inter ceteros, harum rerum peritos, Heynius scriptorem Argonauticorum ætatis Alexandrinæ poetam agnoscit, qui materiam, ex aliis sed iisdem vetustissimis Argonauticis quæsitam, variis commentis exornavit; nec idem dubitat, quin serioris ævi homines, mysticis atque gnosticis placitis dediti, nonnulla, te-

---

\*) Etsi post Schneiderum ipse Hermannus illam, quæ huic verbo inest, ambiguitatem carpendam merito existimat.

nori poematis universo admodum absona, interposuerint. Ceterum qua ratione magnam illam locorum inscitiam, quam præ se fert poematis autor, non in illis solis, ubi agitur res, verum et in aliis regionibus describendis, auctori Alexandrinæ ætatis adscribere queat, equidem non video, quoniam nullo minus quam imperitiæ vitio laborabant illius ætatis scriptores: quapropter etiam F. A. Wolsius, ante ætatem Alexandrinam vixisse autorem censens, sententia illi acriter repugnat.

Nec illud, quod magis mireris, prætereundum, Criticorum eos, qui ab Heynio præmonstratam viam ingressi sunt, (ex majore cujuscunque scriptoris  $\alpha\gamma\epsilon\omega\gamma\varphi\alpha\varphi\iota\alpha\sigma$  ad remotiorem illius ætatem esse concludendum) haud minus quam ceteros in diversas abiisse sententias. Thunmannus \*) enim, hac concludendi ratione usus, extricasse sibi visus est, Argonauticorum scriptorem ætate Ptolemæi Euergetæ esse juniores: Mannertus \*\*) vero, Herodoti ætatem eum superare.

Ne vero fastidium creem lectoribus, eas, quæ nondum commemoratae sunt, virorum doctorum sententias breviter perecurram. J. H. Vossius \*\*\*) arbitratur, autorem hujus carminis Alexandrinorum tempore antiquiorem esse. Huschke \*\*\*\*) docere conatur, autorem post Alcmanem et Pindarum vixisse, et imitato-

\*) Nova bibliotheca philologica Vol. IV. pag. 298 seqq.

\*\*) Geographie der Griechen und Römer Vol. IV. pag. 25.

\*\*\*) Den. Litt. 3. 1805. №. 138—143.

\*\*\*\*) Com. de Orphei Argonaut. Rostoch. 1806. 4to.

rem esse Apollonii Rhodii. Königsmann \*) sub Ptolemaeo Philadelpho autorem ponit, contra quem Hermannus \*\*) sententiam antea a se prolatam defendit, assentiente Beckio \*\*\*). Ukert \*\*\*\*) fatetur, ætatem hujus carminis ex geographicis rationibus non posse certo constitui; si oratio spectetur poetæ, minime ante Herodotum ponendum, sed longe senioribus temporibus adnumerandum eum esse; ex ratione, qua mythos tractet, concludi posse videri, tempore eum vixisse, quo Argonautarum res saepius et a poetis et a prosæ orationis scriptoribus tractatae essent, adeo ut multa tanquam lectoribus nota omittere posset. Jacobs denique \*\*\*\*\*) ad id tempus carmen nostrum referendum censet, quo Christiana doctrina magis magisque increbrescens antiquiores religiones ad defensionem quasi sui provocaret, et scripta sub Orphei nomine vulgata ab utraque parte certatim adhiberentur.

Hisce igitur tanquam in limine expositis, ad singula, pauca quædam annotaturi, transeamus.

\*) De ætate carm. epici, quod sub Orphei nomine circumfertur. Slesvici 1810. 4to.

\*\*) De argumentis pro antiquitate Orphei Argonauticorum maxime a Königsmanno allatis. Lips. 1811. 4to. Notitiam horum scriptorum debeo F. A. Ukert (*Geographie der Griechen und Römer.* 1. T. 2. Abth. Pag. 534), nam oculis ea usurpare nondum mihi licuit.

\*\*\*) Act. semin. reg. Lips. Vol. I. pag. 333.

\*\*\*\*) I. c. pag. 332—350.

\*\*\*\*\*) Apud Ukert I. c. pag. 351—357.

Φρικώδεσσα κῆλα πιφαύσκω  
Θνητοῖς ἀνθρώποισιν, ἀχείματα δ' ὄργια μύσαις.

Argonaut. v. 10. 11.

Satis probabilis videtur Hermanni lectionis vulg. mutatio ἀχείματα, utpote hæc sit sententia loci: alioquin cecini talia, quæ ceteris hominibus admodum erant horrenda, sed mystis et illis, qui deorum sacris essent initiati, plane ἀχείματα, omnique terrore aliena. Dubitationi tamen obnoxium videtur, utrum πιφαύσκω (vel potius πιφαύσκου, quod nobis magis arridere nulli negabimus) ad utrumque versum referre liceat, et an ille, qui τῷ κῆλᾳ attribuitur sensus, satis commode defendi queat. Ceterum quum non solum lectio vulg. exhibet ἀκή μετὰ δ' ὄργια, sed etiam alia quædam, huic non absimilis, habetur, codicum auctoritate haud destituta, lectio ἀκήματα δ' ὄργια, haud acriter repugnabo, si, mutata paululum lectione, legi jusseris: ἀκήματα δ' ὄργια, quod, eundem sensum exhibens, id habet commodi, quod a vulgatae lectionis scriptura parum recedit. Huc accedit, quod apud ipsum Orpheum, in hoc nostro poemate, occurrit ἀκέσματα. (lect. vulg. ἀκεύματα):

"Ος (Χείρων) ῥά διηασπολίη μέλεται καὶ ἀκέσματι νούσων.  
(vers. 383).

unde facile crucere licet ἀκήματα.

Versum sequentem si accuratius inspexeris, vix negaveris, lectionis varietatem, a Steucho \*) oblatam, ὑπὸ κόλποις significationi τοῦ λοχεύεται imprimis conve-

\*) De perenni philosophia VII. 10. pag. 431.

nire, utpote κόλπος haud minus quam Latinorum *gremium* generandi progignendique sensum involvat: verum nec inepte vulgatum illud ὁφ' ὄλκοις (ex ἔλκω) i. e. immensum illum, quo continentur omnia, tractum tuleris.

---

Πρῶτα δὲ εἴδε βίην Ἡρακλῆος Θείοιο.

Argon. v. 449.

Ab hoc inde versu initium capit heroum accurata et exacta recensio, ad imitationem catalogi navium, qui est in Iliadis libro secundo, adumbrata. Nec, si Homericī ævi poetas species, enumerationem, summa cum religione contextam, heroum nominum reprehenderis: quoniam aderant inter decantationem conserta multitidine auditores, quorum majores in ipsis, quæ poetarum voce celebrabantur, rebus gestis sæpenero pars maxima fuerant, quoramque pectus, gloriæ quadam cupiditate abreptum, dulce quoddam gaudium pertentabat, tanquam et ipsi, quam sibi virtute pepererant majores, laudis participes forent.

Nec abhorret exacta et cum summa ἀνριβείᾳ concinata urbium atque locorum enumeratio a solita ejusdem ævi cogitandi judicandique ratione. Quanti enim æstimaverint quæ eo tempore exstitere urbes, vel unum, majore ingenii gloria præditum, civem sibi adscribere, ex insigni et satis nota septem, ne dicam plurimum, de stirpe Homeri urbium contentionе patet. At vero, quo magis in Homericis carminibus illud, tanquam remotissimæ poeseos Græcorum indoli proprium, laudabis, eo minore laude in juniore nostro, utque ap-

paret, suppositio poemate prosequendum videtur, potiusque, tanquam perversa antiquiorum imitatio, rejiciendum. Notatu omnino perdignum, poesin Homericam adeo inclaruisse, et ita suas obtinuisse laudes, ut recentiori quovis tempore epicis generis poetæ, parum ponderantes, quantum mutatis temporibus tribuantur necesse sit, ad illam retulerint omnia, inque ea haud absque anxietate imitanda sitam esse summam poetæ gloriam autumaverint. At vero non oeconomia sola, quæ carminibus Homericis tanquam propria censenda est, verum etiam singularis illa ratio, qua, circumvolventium annorum serie, prodierint atque in lucem emissa fuerint egregia illa nec unquam satis digne laudanda poemata, non unius hominis, ingenii gloria præcellentis, verum multorum, ad unum consilium contendentium, poetarum studio condita, satis superque ostendere debuit, non organicam Homericorum poematum formam, tanquam unice veram, omnibusque numeris absolutam, cuiusvis ævi poetis nullo ad diversitatem temporis respectu habito, ad imitationem esse proponendam. Hinc originem traxit, cuius supra fecimus mentionem, vel in poetis, quorum proprietatem et singularem effingendi vim admirari licet\*),

\*) Antiquorum plures tanta anxietate imitatos fuisse Homerum, quid est, quod mireris, quum inter recentiores non illi solum, quorum omnis industria in repetenda veterum forma expromitur, verum et illi, quorum summa est proprietas, et de quibus, cuius vestigia presserint, frustra quæreres, (Ariostus v. c., Orlandi Furiosi autor) fortuitam illam poeseos Homericæ partem repetere haud dignati sint.

satis obvia consuetudo longa serie heroum nomina enumerandi, quorum vix constabat inclyta fama.

Dum viva voce utebantur poetæ, perque urbes et inter adstantes arrectis auribus auditores profundebant carmina, literis nondum inclusa, etiam huic epici Græcorum carminis parti sua constabat vis atque laus. Verum circumvolventibus annis vivæ voci succedebat litera scripta: bella, frequentiora quidem, verum inter multas easdemque parvas civitates quasi distracta atque divisa, ad animi motus excitandos haud æque idonea, non amplius ad communem totius Helladis salutem pertinebant. Pro sua salute pugnabant singulæ civitates, nec, ut ante, propria virtute confisæ in bellum contendebant gentes, dum aliorum, eorumque conductitia ope uterentur; quod quum fieret, vera vis atque notio harum, ab antiquioribus recte adhibitarum, heroum enumerationum evanuerunt. Si vero, ut ad nostram revertamur, dexteritatem, qua illam intexuit Orpheus, contemplamur, vix, salva justitia, negabimus, nostrum non Apollonium solum, verum et Valerium Flaccum \*), competitores haud temere spernendos, adeo superasse, ut, qua usus fuerit in deducendo catalogo sæpius dicto, concinnitatem atque venustatem vix satis laudaveris. Ne ipsius quidem Homeri navium enumeratio adeo est subtili arte inserta, dum nova Musarum invocatione omnis conjunctio violenta quasi manu disrumpitur.

---

\*) Valer. Flacc, Argonaut. I. 350 seqq.

---

Τεύχεα δ' ἐκδύνοντο, περὶ στέργοισι δ' ἀνηπτον  
 Σειράνη μήριν θον. ἐπέβριθεν δ' ἄρδ' ἔκαστος,  
 Αἴψα θοὸν ποτὶ κῦμα κατειρύσαι εὐλαλον  
 'Αγγώ. Argon. v. 244.

Veram et nativam, eandemque vividis coloribus expressam heroici ævi imaginem exhibit locus, cuius jam attulimus verba; nec satis admirari poteris genuinam illam simplicitatem, quæ heroas navem, qua jam sint summa subituri pericula, deducentes sistit. Nec illa silentio est prætereunda, qua navem alloquitur Orpheus, oratio, cuius ea est singularis vis atque indeoles, ut recentioris poeseos genium, et ut ita dicam romanticam quandam formam præ se ferens, perpaucas \*) sui similes agnoscat: adeoque novitate simplicis adlocutionis, qua navem deducit Orpheus (cui si similem fingendi rationem expetas, solus, ni fallor, adeundus est hymnus Homericus ad Apollinem Delium) lectorem

\*) Ex tenui nostro penū hanc in rem exempla quædam prolatulis duo tantummodo, quæ hic facere videntur, in mentem incurunt: quorum alterum est navium longarum in Aristophanis 'Ιππεῦσι consabulatio; alterum in Luciani opusculo, quod inscribitur Cataplus sive Tyrannus, exstat. Ad redarguendum enim Megapenthem tyrannum advocat Rhadamanthus lucernani ipsius et lectum, ut testium coram judice munere fungentes profiteantur, quæcumque ille, ipsis conscientiis, patraverit. Hujusmodi vero loca in veterum scriptorum scriptis non nisi per raro occurunt, ni fallor, ea propter, quod spectent, quæ in sensum non cadunt, ideoque subobscurum nec satis purum voluptatis et admirationis sensum exhibeant.

adeo perculisse mihi videtur poeta, ut vel ex eo argumentum senioris, qua vixerit, ætatis haud inepte elicere liceat. Tantum enim abest, ut, quæ saepius recurrat, ingenii Orphei miræque, quam in feras universamque naturam exercuerit, facultatis descriptio genuinum Orpheum probet, ut recentiorem potius sapiat autorem, qui, quo se obvelare studet, involucro parum commode tectus, dum lectoribus sucum facit, fraude sua ipse deceptus convincitur. Neque enim in Homeri \*) neque in genuini illius Orphei ætatem cadit, poetam, aut sponte oblata, aut avide quæsita facultate, sui mentionem cum omni laudis prædicatione, interrupo interdum carmine, temere injicere. Verum quum innotuerat, famaque percrebruerat singulare illud, quod in exanimia quæque exhibuit Orpheus, imperium, Pseudo - Orpheus haud incommodo illud in suam rem convertisse, et, iterum iterumque repetita miraculorum istiusmodi mentione, ab omni de genuino Orpheo dubitatione lectorem abstrahere voluisse videatur. Eodem pertinet, quæ passim occurrit, Musæi invocatio, quæ a solito antiquissimorum poetarum more adeo abhorret, ut, tanquam Alexandrini ævi poetæ cujusdam figmentum, quo lectores de vero car-

\*) Hac nec alia ratione explicanda mihi videtur, quæ est in Iliadis β v. 594 sqq. de Thamyride narratio, et id eo magis, quod nulla in Homericis de certamine ejus cum Musis, verum tantummodo de arrogantia ejus poetica dequea inficta a Musis poena mentio fiat; unde satis apparent, senioris esse ætatis, et Homero plane ignotum de certamine cum Musis figmentum.

minis autore judicium ferre prohiberentur, satis calide adaptatum atque institutum agnoscas necesse sit.

---

*Ἐν δὲ τῷ Τίφει*

*Σύν τοι ἄλλοι Μηνύαι, γλαυκώπιδε Τριτογενεῖη  
Θῆκαι δεῖραντες βριθὺν λίθον:*

Argon. v. 492. sqq.

Perperam, ut videtur, *βριθὺν λίθον* de anchora navis explicat Gesnerus, nec fallitur is, qui aram in honorem Minervæ erectam lapidem censem. Ceteroquin haud spernendum est Gesneri adnotatum, quo indigitat *ἄγνυραν* nondum Homero innotuisse, qui quotiescumque anchorarum injicit mentionem, εὐνᾶς semper adhibet. Quid igitur impedit, quo minus vel eo, seriori ævo quasi euso vocabulo, ad recentiorem carminis ætatem comprobandam utamur? — Valde vero mirari licet, quod Gesnerus ad v. 630.

*Βωμὸν ἐπιστέψαντες ἐπ' ἐσσομένοισι πυθέσθαι*

*Πεισματίη —*

nulla ad illum, in quo est contextu, ratione habita querere sustinet, an in navi esset ad sacrificandum exstructa ara, quoniam ex toto loci tenore luculenter exit, de alia Rheæ in honorem in littore exstructa ara jam fieri mentionem.

---

## §. 7.

*Quodsi nullum jam ante consilium de morte ac de bonis ejus, nullaque societatem neque sceleris neque præmii cum homine ullo coieras, ad te minime omnium pertinebat.*

Ciceron. pro S. Roscio Amer. cap. XXXIV.

Errorem heic sublatere quisque inde intelligere debet, quod cum novissimis jamjam allatis "ad te minime pertinebat" superiora illa: "quid attinuit eum potissimum nuntiare" parum concinne cohæreant. Quorsum præterea: ad te? Anne nuntiavit Titus? Immo vero dixit Cicero: *eum* (Glauciam) nuntiasse. Quid? quo de Tito ægerrime dixeris, ad eum minime pertinuisse scire, virum, quocum maximas atque acerbissimas gessisset inimicitias, violentæ morti jamjam occubuisse. Cum Mallio Glaucia vero, libertino, homine tenuissimo, et Sexto Roscio, ut videtur, plane ignoto, et a tota, quæ gerebatur, re alienissimo, aliter se habebat res. Quæ quum ita sint, nullus dubito, quin, remoto *te*, restituendum sit *eum*, qua mutatione etiam illud obtinebis, ut facilior reddatur ad ea, quæ hæc excipiunt, transitus.

Cæterum quæstionem, quam intactam et silentio depressam video, præterire neutiquam in animo est, quæ ad ingenium Capitonis et ad depravatos ejus mores pertinet. Sæpius enim usu evenit summo nostro oratori, ut, quos defendat, justo puriores et omni culpa solutos repræsentet; verum nec desunt exempla hominum, quos, summum jus summamque injuriam confundens, acrius atque acerbius exagitare

atque iacessere videatur. Titum Roscium vel maximam hujus sceleris partem fuisse, totiusque injuriæ quasi machinatorem atque architectum nemo dubitaverit: verum animum advertas velim, quam circumspecte agens culpam in T. Capitonem conferat, dum illud unice spectat, quod ad illum, Ameriæ degentem, nuntium miserit Titus. Haud quidem omisit atrocissimi cujuscunque sceleris crimina in illum pro more congerere, verum si ponderaveris anxiam et circumspectam, qua proferat illa, incusandi rationem, Capitonem aut scelestum simul et inter paucos astutum atque vafrum agnoscas, qui omnibus calliditatis munitionibus adeo caute se circumsepsit, ut intra vallum prorumpere hostis non valeat, aut parum nocentem, quem criminibus et conviciis non arguendi verum obiciendi causa exagitat Cicero. Autumat quidem, Capitoni multas esse infames palmas, nullumque esse hominis occidendi modum, quo ille non occiderit aliquot, multos ferro, multos veneno, nec defuisse, quem de ponte in Tiberim conjecterit. Verum satis caute addit: "Audio illud", ita ut effugium atque exitum, si qua prodierit Capito, sibi præparet. Quid? quod, dum in tota oratione pro juvenili more uberior exspatiatur et copioso dicendi generi nimis indulgens, quæ ad rem nihil faciunt — prædicationem atque laudem fidei suæ, explicationem duplicitis accusatorum generis, de mandato atque deposito legis explicationem — satis prolixè exponit, crimina Capitonis leviter tantummodo perstringit, dum ea, quæ jamjam erant probanda atque redarguenda, judicium ingenii atque conjecturæ, tanquam in suspicionibus posita, committit. At vero

non tanta erat juvenilis imprimis Ciceronis animi lenitas, ut patronus factus adversariis parceret, eorumque vitia intacta relinqueret: nec rationem, cur, Sullam, sua memoria potentissimum, acriter carpens, præterierit Capitonem, indagare est in promtu.

Quid vero dicendum est de decurionum atque municipum aut stultitia aut malitiosa negligentia, qui omnium sectorum atque sicariorum atrocissimum ducem, innocentisque et patris et filii acerbissimum inimicum, totiusque rei, si Ciceroni credere fas est, machinatorem atque architectum, inter decem-primos electum cum novem honestissimis viris missum voluerint, quem ex illis, quæ jam erant peracta, non defensorem, verum infestissimum oppugnatorem Rosciī fore sine negotio intelligere licuit. Cædem Rosciī Amerinis adeo indignam visam fuisse, ut urbe tota fletus gemitusque fieret, ipse nobis autor est, et ita quidem, ut nemo esset, qui non ardere omnia mallet, quam in bonis Rosciī jactantem se illum atque dominantem videre: verum ne hæc quidem Amerinos impediunt, quo minus innocentis viri famam atque vitam homini, cuius scelera atque vitia jamdiu innotuerant, commissas velint. Ut igitur brevi præcidam, aut summam decurionum atque municipum amentiam, inque Rosciī discrimine damnosam negligentiam, aut, quod magis arridet, Ciceroni haud insolitum adversarios carpendi studium agnoscas necesse est.

---

# Den offentlige Examens

i

*Slagelse lærde Skole*

foretages

efter følgende Schema:

---

*Mandag den 22de September.*

9 — 12. IV. Latin. — 4 — 6. IV. Histor. og Geographie.

*Tirsdag den 23de.*

9 — 12. III. Latin. — 4 — 6. III. Tydsk.

*Onsdag den 24de.*

9 — 12. IV. Græsk. — 3 — 5. II. Religion.  
5 — 6. II. Dansk.

*Torsdag den 25de.*

9 — 1. Samtlige Classer. Latinsk Stiil. 4—6. III. Religion.

*Fredag den 26de.*

9 — 11. I. Latin. — 4—6. I. Arithm. og Geometrie.  
11 — 1. I. Historie og Geographie.

*Löverdag den 27de.*

9 — 11. II. Hist. og Geogr. — 4—6. IV. Arithm. og Geom.  
11 — 1. II. Græsk.

*Mandag den 29de.*

9 — 12. III. Græsk — 3—5. II. Fransk.  
5—6 $\frac{1}{2}$ . II. Tydsk.

*Tirsdag den 30te.*

9 — 10 $\frac{1}{2}$ . III. Fransk. — 4—6. II. Latin.  
10 $\frac{1}{2}$  — 12. III. Dansk.

*Onsdag den 1ste October.*

9 — 1. Samtlige Classer. Danske Udarbeidelser.

*Torsdag den 2den.*

9 — 10½. I. Religion. — 4—6. IV. Hebraisk.

10½ — 12. I. Dansk.

*Fredag den 3die.*

9 — 10½. IV. Fransk. — 4—6. III. Arithm. og Geomet.

10½ — 12. IV. Tydsk.

*Löverdag den 4de.*

9 — 10½. IV. Religion — 4—6. III. Hist. og Geographie.

10½ — 12. IV. Dansk. — 4—6. II. Arithm. og Geomet.

---

Mandagen den 6te October afholdes Censuren.

Tirsdagen den 7de prøves de til Optagelse i Skolen anmeldte Disciple.

Onsdagen den 8de begyndes, efter tilendebragt Translocation, Underviisningen.

---

Til at overvære denne Examen indbydes herved saavel Disciplencs ærede Forældre og Værger, som enhver Ynder af den lærde Skoleunderviisning: hvortil jeg föier det Önske, at disse ville, saa øste som Tiden maatte tillade det, skjänke Skolen deres opmuntrende og hædrrende Nærværelse.

Slagelse den 15de Septbr. 1823.

S. *M e i s l i n g.*

---